

DISPUTATIO JURIDICA
DE
TESTAMENTIS
ORDINANDIS.

Ad Tit. X. XI. & XII.
LIBRI SECUNDI INSTITUTIONUM
JURIS JUSTINIANEI,

Quâ textum eorum
certis positionibus inclusum juncto usu fori
moderno

Divinâ favente clementiâ

& gratiosè annuente

ILLUSTRISSIMO CAPITANEATU
AC REGIMINE REGIO
INCLYTI DUCATUS LIGNICENSIS
in illustri

JOSEPHINA

sub

DIRECTORATU ejus REGIO

Præside Viro nobilissimo atq; consultissimo

DOMINO AUGUSTO BOHSIO,

Doctore atq; Professore Juris utriusq;
publico & primario

Die 19. Martij, Festo S. JOSEPHI.

A. R. S. 1715.

placidæ Eruditorum disquisitioni
horis promeridianis

in Auditorio consveto exhibet

CAROLUS JOSEPHUS CETTO

de KRANSDORF,

Eqv. Siles.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
TESTAMENTIS
ORDINANDIS.

Illustrissimo atq; Reverendissimo
Domino,
DOMINO
IGNATIO
de **LOVINA,**
EPISCOPO de **SIBER-
NICO,**
CANONICO GLOGOVIENSI,
&c. &c.
Domino suo gratiosissimo
theses hæc Academicas
in monumentum æternæ observantiæ
submissâ confecrat devotione
CAROLUS JOSEPHUS CETTO de KRANSDORF.
Eqv. Siles.



367046



Q. D. B. V.
AD TIT. X. LIB. II.
De Testamentis ordinandis.

TH. I.
Testamenta originem suam *juri Gentium* debere dubitandum non est. Substantia enim ipsorum fluit ex causâ dominii, ex quâ is, qui usu rationis gaudet, de re suâ liberè disponendi facultatem habet; ut scilicet ejus dispositio vel eo adhuc vivo, vel demum eo mortuo effectum sortiatur. *vid. Grot. de J. B. & P. Lib. 2. cap. 6. §. 14.*

TH. II.
Nec tamen factionem testamenti juris gentium *preceptivi*, sed *permissivi* esse dicendum est. Nemini enim necessitas injuncta, condendi testamentum; sed potius libertas relicta, an quis intestatus decedere malit.

TH. III.
Sicuti autem illa testandi facultas *Jure Gentium* competit; ita ex *jure civili* testamenta certam formam acceperunt, quâ non observatâ tales dispositiones corrumpunt. *l. 4. ff. qui testam. fac. poss.*

TH. IV.
Testamentum ex eo appellari, quod sit testatio mentis, innuit Justinianus *pr. h. t.* non tamen qualiscunq; Testatio mentis hîc intelligitur, sed solennis & secundum leges ordinata declaratio voluntatis ultimæ, præcipuè de eo, quem quis sibi velit esse heredem. *Locamer. ad Inst. h. t. n. 2.*

TH. V.
Hinc & realem testamenti definitionem Modestinus tradit in *l. 1. ff. qui testam. fac. poss.* his verbis; Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult.

B TH.

TH. VI.

Illa declaratio voluntatis ultimæ fiebat olim apud Romanos vel *calatis i. e. convocatis* Comitibus, quando Testator coram populo ad Comitibus vocato heredem declarabat: *Huber. lib. 4. digress. cap. 30. & hoc Testamenti genere in pace & otio utebantur. Inst. h. t. § 1.* Vel, cum in *prelium* ituri essent; testamentum à militibus confici poterat, quod *prociñctum* dicebatur, vel testamentum *in prociñctu*; quia à militibus ipsis prociñctis & ad confligendum cum hoste paratis condebatur. *Muller jurispr. elem. disp. 24. th. 3. lit. d.*

TH. V

Cum autem non semper *calata* Comitibus essent, aut *in prociñctu* testari possent Romani; imò *fœmina* dictis modis à testamentis condendis planè arcerentur; quia nec in Comitibus comparere, nec militiam sequi poterant; excogitatus est teste *Gellio lib. 5. Noct. Att. cap. 19. & lib. 15. cap. 27.* alius modus testandi *per Æs & libram*. i. e. per monetam æneam, quam familiæ emtor libræ imponebat, & libripens testatori appendebat, ita ut per imaginariam quandam venditionem familia, i. e. hereditas seu patrimonium testatoris à futuro successore emeretur, quinque testibus, civibus Romanis, puberibus præsentibus *§. 1. Inst. h. t.* Et sic quovis tempore non solum masculis, sed etiam fœminis per ejusmodi testamenta bona sua in alios transferre permissum erat.

TH. VIII.

Sed hæc testamentorum genera in desuetudinem abiierunt, & Prætor per Edictum aliam testamentorum faciendorum formam introducebat, ita ut nulla amplius mancipatio sive imaginaria venditio desideraretur; sed sufficeret, si testator ultimam voluntatem suam in scripturâ declaratam septem testium signis obsignari curasset; *§. 2. Inst. h. t.* Tunc enim scriptus heres secundum tabulas testamenti bonorum possessionem petere poterat; *vid. §. 6. inst. quib. mod. testam. infirm.*

TH. IX.

EX his denique tam variis testamentorum Ordinationibus partim ex jure civili veteri; partim ex jure prætorio; partim ex constitutionibus Principum novus testamenta condendi modus est conflatus, ex cujus observatione testamentum, quod vocatur *solenne*, conficitur, & *privatum* est, distinctum tam ab eo, quod dicitur *publicum*; quam ab illo, quod *minus solenne & specialiter privilegiatum*; de quibus in fine hujus tituli & in subsequentiis videbimus.

TH.

TH. X.

Hoc testamentum *solenne* est vel *scriptum* vel *nuncupativum*.

TH. XI.

Scriptum est, quod in scripturâ legitimè conficitur; de *nuncupativo* suo loco dicendum erit.

TG. XII.

Forma testamenti *scripti* alia est *intrinseca*, alia *extrinseca*: de illâ, quis scilicet legitimè testari; & cui hereditas relinqui possit, in sequentiis agemus; *Hanc* verò nunc penitius examinabimus.

TH. XIII.

Ad formam proinde *extrinsecam scripti* testamenti primò requiritur *testamenti in scripturam redactio*; ubi nihil interest, an ipse testator suâ manu testamentum scripserit, quod *holographum* dici solet; an mandato ejus alius. Sufficit enim tunc, si modò illud, quod *holographum* non est, subscripserit. *vid. l. 21. C. & l. 28. ff. de testam.*

TH. XIV.

Secundò requiritur ad testamentum scriptum *Testatoris coram septem testibus idoneis declaratio*, hanc, quæ in scriptis offerretur, esse ultimam voluntatem suam, *l. 21. C. de testam.* Ubi non opus est, ut prælegatur, aut ut testes sciant, quisnam in tali testamento heres sit institutus, aut quibus legata sint relicta: Sed satis est, si illud producat, & testator significet, hoc suum testamentum esse, rogetque testes, ut de hoc actu testentur.

TH. XV.

Septenarius ille testium numerus procedit ex ratione *Calatis Comitibus* testandi Romanis usitatâ. Nam populus Romanus in quinque classes distribuebatur, *Gellius lib. 10. cap. 28.* Ex his ergò Curiis videbantur etiam dehinc quasi desumptæ illæ quinque personæ, ut populum Romanum repræsentarent, quibus accedebat familiæ emtor & libripens, in quorum vicem duo adhuc testes adhibiti sunt. *L. B. de Lynker analect. ad Inst. h. t. §. 3.*

TH. XVI.

Tertio requiritur, ut ille actus testamentarius *uno contextu eodemque tempore* fiat, nullo actu alieno intermixto. *l. 21. §. fin. ff. qui test. fac. poss.*

TH. XVII.

Non tamen actus ille Testamentarius exinde vitatur, si quid necessarium evenerit, & testatoris conditio ob naturæ exigentiam vel medicinæ applicationem modicam interruptionem ac testium discessum requirat, Eo

B 2

pro-

proinde, quod urget & imminet, repleto vel deposito, iterum solita testamenti factio adimpleri potest. Quod similiter de testibus ex causâ necessariâ paulisper recedentibus asseritur, ut interim actus suspensus maneat, eorumque reditus expectetur, & solennia tunc perficiantur. l. 28. C. de testam.

TH. XVIII.

Nec sensus hujus requisiti: ut uno contextu & actu continuo fiat testamentum, talis est, ac si testator uno eodemque tempore ultimam suam voluntatem conscribere, aut alicui suo nomine dictare debeat: ista enim testamenti conscriptio diverso tempore fieri potest: Sed sufficit, testes omnes uno eodemque tempore testamentum scriptum ipsis oblatum & a testatore pro suo declaratum subscripsisse & consignasse. l. 21. C. de testam.

TH. XIX.

Quartum requisitum est Testatoris subscriptio sui testamenti: Si nimirum ab alio illud scriptum sit. (Nam in testamento holographo, i. e. propria manu Testatoris scripto, subscriptio ejus de necessitate non requiritur. l. 28. § 1. C. de test. Carpz. p. 2. c. 20. def. 9.) Hanc tamen subscriptionem suam non prius addat Testator, quam ubi testes legitime convocati presentes fuerint, §. 3. Inst. de testam. l. 21. C. cod. ibi: *eiq; Ipse coram testibus sua manu in reliqua parte testamenti subscripsit.* & Constit. Maximil. I. Imperat: Anno 1512. promulgata von Unterrichts der Notarien. ubi § 55. doch also / daß er / der Testirer / dffentlich ansage / daß solches / so er darlege / sein Testament sey / und vor den Zeugen mit eigener Hand unterschreibe.

TH. XX.

Si testator ipse scribere non possit, octavus testis est adhibendus, l. 21. C. de testam. qui tamen non nomen Testatoris, sed suum, subscribit. Carpz. decis. 147. num. 13. & 14.

TH. XXI.

Quintum requisitum est, ut illi septem testes (inter quos tamen numerari quoque potest Notarius, si quis adhibeatur, l. Domitius. 27. ff. h. t. Recess. imp. de Anno 1512. Struo. jurispr. l. 2. tit. 15. §. 11.) ad hunc actum testandi specialiter sint rogati. Auth. rogati. C. de testib. Quamvis sufficiat, si testes, ex aliâ causâ presentes, ante actum testandi rogentur, ut ad illum ipsum testimonium suum perhibere velint l. 21. §. 2. ff. qui test. fac. poss. Ordin. Notar. Maximil. §. 45. ibi: *Oder auß wenigste / wo sie ungeschick-*

schickter Dinge unberuffen zugegen wâren / dazu ermahnet und besprochen werden.

TH. XXII.

Sexto requiritur, ut presentes illi septem testes testatorem videant, audiant, & intelligant, l. 9. C. de testam. l. 209. de V. S. l. 21. ff. qui test. fac. poss.

TH. XXIII.

Septimum requisitum est, ut quilibet testium, quamvis nesciat, quisnam heres sit institutus, aut quid alias in testamento dispositum sit, suum nomen subscribat & signaculum apponat. l. 30. qui test. fac. poss. l. 21. C. de testam. Ordin. Notar. tit. Von Testamenten. §. 7. in fin. Non subscriptum enim a testibus ac non signatum testamentum pro infecto haberi convenit. l. 21. C. de testam.

TH. XXIV.

Non solum autem proprio annulo, sed etiam alieno signare licet testamentum, §. 5. instit. h. t. imò nec præcisè annulo, sed alio quovis sigillo, quo quis ad signandum utitur. Recess. imper. de anno 1512. tit. von Testamenten. Sed de eo non conveniunt Doctores: Annon testis scribendi imperitus per alium subscribere possit? Strykius id negat in tract. de cautelis testament. cap. 15. §. 38. per legem perult. ff. de testam. ubi dicitur: Singulos testes, qui in testamento adhibentur, proprio chirographo adnotare convenit, quis & cujus testamentum signaverit. Id quod nec persæpius allegatam Ordin. Notar. de Anno 1512. sublatum ubi in §. die Form eines Testaments; extat: *durch die sieben Zeugen mit Ihren eigenen Händen unterschrieben.*

TH. XXV.

Objiciunt quidem affirmantes leg. ult. C. de testam. Sed inibi Imperator simplicitati rusticorum solum succurrit, quando illi testamentum eo in loco velint condere, ubi non inveniuntur literati, quod tunc septem testes etiam sine scripturâ testimonium adhibentes admittendi sint.

TH. XXVI.

Octavum requisitum est, ut adhibeantur testes idonei: quæ idoneitas tunc tantum inspicitur, cum signarent. l. 22. ff. qui test. fac. poss. Sunt autem omnes idonei, qui neque natura impediuntur, neque lege prohibentur.

TH. XXVII.

Impediuntur autem aliqui vel propter defectum animi, ut furiosi, l. 29. §. 4. ff. h. t. & impuberes; §. 6. Inst. h. t. vel propter defectum corporis, ut surdi, muti, §. 6. h. item caeci, non enim testatorem videre possunt, id quod tamen ad

testem testamentarium necessario requiritur. *l. 9. C. de testam.*

TH. XXVIII.

Prohibentur vel ob conditionem, ut *serui §. 6. instit. h.* (non tamen *famuli nostri*, quia inter testatorem & ipsos nullus potestatis nexus est. *L. B. de Lynker anal. ff. h. t.* à testimonio in testamentis perhibendo arcendi sunt: Secus est quoad *homines proprios* per Ordin. Notar. Maximiliani, ubi: *Das die Testaments-Zeugen der Leibeigenschaft freysenn sollen*) vel ob *sexum*, ut *mulieres*. Hæ tamen solum in testamento *solemni* removentur à testimonio dicendo: nam *in minus solemni* testes esse possunt. *vid. Carpz. p. 3. c. 4. def. 6.* Vel ob *delictum*, ut *prodigi*, postquam ipsis bonis est interdictum, *l. 18. ff. h. t.* item *Banniti* & *ad triremes damnati*, *conf. Gail. lib. 2. de pace publ. c. 1. num. 24.* Ii etiam, quos leges jubent *improbos* & *intestabiles* esse, *§. 6. Instit. h. t. l. 1. c. 6. ff. h.* ut sunt *ob libellum famosum damnati* *L. 18. §. 1. ff. h. t. ob adulterium, l. 14. ff. de testib. & similes.* vel ob negotium, quod geritur, & *suspicionem affectionis*, ut *heres* in testamento institutus, *§. 10. instit. h. l. 20. ff. h. t.* aut, *qui in heredis est potestate*; aut *pater ejus*, qui eum habet in potestate; aut *fratres*, *qui in ejusdem patris potestate sunt*. Quia totum hoc negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratiâ, creditur hodiè inter testatorem & heredem agi. *§. 10. instit. h.* Nullus autem idoneus testis in re suâ intelligitur. *l. 10. ff. de testib.*

TH. XXIX.

In testamento autem *alieno* sive *extraneo* personæ hæ domesticæ rectè testes adhibentur. *l. 22. ff. h. t.* Sic pater, nec non is, qui in potestate ejus est, item duo fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt, utiq; testes in uno testamento fieri possunt. Quia nihil nocet, ex unâ domo, h. e. eorum, quorum una est domus ac familia, *Locam. instit. h.* plures testes *alieno* negotio adhiberi. *§. 8. instit. h. t.*

TH. XXX.

Sic & *Legatarii* & *Fideicommissarii*, quia non juris successores sunt, & aliæ personæ eis conjunctæ testes adhiberi possunt. *§. 11. instit. h. t.* Id quod tamen de *particularibus* Fideicommissariis, non verò de *universalibus* intelligendum. Hi enim juris successores sunt, & locum heredis occupant, *Hopp. ad instit. h. t. & §.*

TH. XXXI.

Testamentum quoq; *pluribus Codicibus* conficere quis potest, secundum obtinentem tamen observationem omnibus factis & subscriptione septem testium munitis. Quod inter-

interdum necessarium est: ne uno amisso pereat ejus ultima voluntas; sed alibi adhuc recondita reperitur. *§. 13. instit. h. t.*

TH. XXXII.

ET hæc de testamento *solemni scripto*. Si quis autem *sine scriptis* voluerit ordinare jure civili testamentum, quod *nuncupativum* dicitur, ein *ausgesprochen Testament* / tunc vivâ voce coram septem testibus voluntatem suam declarare debet.

TH. XXXIII.

In hoc testamento *nuncupativo* præter id, quod fiat palàm i. e. exaudientibus testibus, & præter scripturam & signaturam testium, quæ ad illud non requiruntur, omnia alia solennia exiguntur, quæ in scripto obtinent. Hinc idem testium numerus, eadem rogatio, eadem personarum qualitas, & ipsius actus testamentarii continuïtas ad illud quoq; desideratur. *vid. Siruo. Exerc. 32. th. 15.*

TH. XXXIV.

Distingunt quidam ex Doctoribus secundum praxin hodiernam testamentum hoc nuncupativum in *explicitum*, quo Testator coram Notario & testibus nominat eum, quem heredem esse vult. *Mench. consil. 313. n. 38.* & *implicitum seu mysticum*, quo Testator non exprimit heredis nomen coram testibus, sed ad chartam aliquam suâ manu conscriptam se refert, inq; eâ successorem suum contineri declarat. *Berlich. 3. concl. 4. n. 25. Mench. consil. 639. n. 18.* & *seqq. Siruo. Exerc. 33. th. 8. Carpz. p. 3. Const. 3. def. 8.*

TH. XXXV.

Mortuo Testatore testamenti nuncupativi testes, qui interfuerunt, juratò de hæc ultima voluntate deponere debent. *l. ult. C. de testam. Carpz. C. 3. def. 36. & 38.* Ubi sufficit, si modo duo testes supersint. Alia enim est ratio *condendi*, alia *probandi* testamentum. *Mev. p. 4. dec. 13.*

TH. XXXVI.

Cum verò evenire possit, ut testes omnes interim decedant, hinc ne fides testamenti nuncupativi morte testium pereat, solet Notarius in præsentia septem testium ex ore testatoris ultimam voluntatem calamo excipere, & antequam ab invicem discedant testes, in horum præsentia testatori iterum prælegere, ac desuper solenne instrumentum conficere, cui plerumq; subscriptio testium & subsignatio accedit; Et tunc quidem salva adhuc natura manet testamenti nuncupativi: cum scriptura *probationis* gratia solum accesserit: Non autem amplius tunc opus est jurata depo-

depositione testium; cum instrumenta publica per se fidem faciant. *l. 31. c. de donat. vid. Carpz. c. 3. def. 34.*

TH. XXXVII.

Tantum de Testamento *solemni privato*, tam *scripto*, quam *nuncupativo*. Nunc quædam de testamento *publico* ad-
jicienda erunt.

TH. XXXVIII.

Testamentum, *publicum* est, quod sustinetur autoritate publica: Estq; vel *Principi oblatum*, vel *judiciale* seu *actis* insinuat.

TH. XXXIX.

Testamentum *Principi oblatum* est, quando testator ultimam voluntatem suam Principi aut alii Statui Imperii insinuat, declarando, suum testamentum esse, & rogando, ut scriniis usq; ad ipsius mortem inferatur, & publica autoritate sustineatur. *l. 19. l. 20. C. h. t. Carpz. p. 3. dec. 239. Struo. Exerc. 32. th. 9.*

TH. XL.

Quod si testator morbo vel ex alia causa impeditus ipsum Principem adire nequit, coram Consiliariis duobus, vel coram duobus Secretariis a Principis curia missis ad domum ægrotantis testamentum ab eo condi vel in scriptura offerri potest absq; solennitatibus: & tunc hoc quoq; in scrinia seu archivum Principis a Secretariis refertur, adeoq; publica & plena nititur fide. *Struo. S. I. C. l. c. vid. Ruland de commissar. p. 2. lib. 5. c. 3.*

TH. XLI.

Testamentum *judiciale* in specie ita dictum seu *actis* publicis insinuat est quando quis judici in loco judicii ultimam suam voluntatem scripto comprehensam præsentem Actuario offert & disertè asserit, in ista scriptura ultimam voluntatem suam comprehensam esse; vel oretenus coram judice & Actuario aut saltem coram duobus Assessores, aut etiam uno Assessore & Actuario, ultimam voluntatem suam exponit. *Struo. jurispr. Lib. 2. tit. 15. Aphor. 9. Flek. Biblioth. jur. Lib. 2. tit. 28. n. 12.*

TH. XLII.

Quod si Testator morbo impeditus nequeat in judicio comparere, tunc mittat ad judicem & petat, ut nomine judicii duæ personæ ad judicium pertinentes veniant ad ipsum, & testamentum ab eo accipiant. *vid. Carpz. p. 3. consil. 2. def. 17. ibi: Von Gerichts wegen in seine Behausung auf sein Erfodern geschickt. vid. Philip. ad decis. Elec. 73. Obs. 1. n. 4. & seqq.*

TH.

TH. XLIII.

Quærent hic Doctores: An testamentum *judiciale* judici per *mandatarium* speciali mandato instructum possit insinuari? Negant hoc *Carpz. p. 3. c. 3. def. 23. & Berlich p. 3. c. 4. n. 31.* Qui ipsum testatorem hoc offerre debere asserunt. Et hæc opinio tutior est quam affirmantium. Quamvis autem & in hoc Ducatu Lignicensi insinuatio testamenti per *mandatarium* judici fieri possit: hoc tamen non exinde valet ut *judiciale*; sed debet antea septem testibus adhibitis & observatis omnibus solennitatibus requisitis conditum esse; ita ut hæc per procuratorem judici facta insinuatio solummodo eò tendat, ut istud testamentum eò securius usq; ad publicationem custodiatur, quam si illud in privata scrinia fuisset repositum.

AD TIT. XI. LIB. II. De Militari Testamento.

TH. I.

Hactenus de testamento *solemni privato*, ac de testamento *publico*. Sequuntur nunc *minus solennia* sive *privilegiata*, ad quæ referuntur (1. *Testamentum militare*. (2. *Patrimonium inter liberos*. (3. *Rustici*. (4. *ad pias causas*; & (5. *testamentum tempore pestis conditum*.)

TH. II.

Testamentum *militare* est, quod à milite in expeditione constituto sine omni solennitate factum. *Lauterb. compend. ff. de testam. milit. pag. 500.*

TH. III.

Remissa autem est militibus illa scrupulosa solennitatum observatio non solum propter eorum imperitiam juris, *pr. instit. h. t.* Verum inprimis respexerunt Constitutiones Principum ad multitudinem periculorum, quibus in expeditionibus milites sunt expositi. *l. un. ff. de bon. possess. ex testam. milit. vid. Gail. 2. obs. 128. n. 7.*

TH. IV.

Notanter dicitur: in *expeditionibus*, i. e. in conflictu, seu, quod parati stant ad confligendum cum hoste. Hi enim, modò de seriâ eorum voluntate ultimâ constet, (v. g. ex scripto,) sine ullis testibus testari possunt. *pr. & S. 3. l. 1. 20. l. 38. l. 42. l. 43. h. t.* Si verò per *nuncupationem* ultimum elogium tali casu condant, suam voluntatem in præsentia duorum testium exprimant. *l. 24. ff. de*

D

de testam. milit. Neq; enim tunc aliter de eorum voluntate quam per testes constare potest.

TH. V.

SI tamen miles *extra conflictum* in hostico aut in castris moriatur, tunc scriptura nuda, cum quâ decessit, non sufficit, sed testes minimum duo requiruntur per ordin. Maxim. l. de Anno 12. Von Richtern und Notarien. Rubr. von Testamenten §. und sollen, vid. Carpz. p. 3. C. 3. def. 26. n. 9. & seqq. Philipp. Eclog. ad instit. 49. lib. 2.

TH. VI.

Quid autem dicendum de militibus limitaneis, præsidariis & in hybernis constitutis? die auf den Grenzen / in Besagung und Winter-Quartieren liegen. Illi non aliter hoc privilegio jure militari sine solennitatibus testandi gaudent, quam si quotidianis hostium invasionibus sunt expositi. l. 1. ff. h. t. vid. Bachov. ad Treutler. vol. 2. disp. 10. th. 6. lit. C. alias jure communi testari debent Const. Maxim. l. de Anno 1512. Rubr. von Testamenten §. und soll.

TH. VII.

EXTENDITUR hoc privilegium testandi jure militari ex identitate rationis ad omnes eos, qui eadem pericula experiuntur. vid. l. un. ff. de Bon. possess. ex testam. mil. Hinc Concionatores militiae, Auditores, Medici, Chirurghi, Feld-Prediger / Auditeurs / Feld-Medici, Feld-Scheer / item venalitarii castrenses, Marktetenter / & famuli officialium, etsi non sint milites, modo tempore testamenti in periculo hostili constituti sint, & ibi decesserint, quia militiam sequuntur, hoc privilegio sine solennitatibus testandi gaudent. Flek. Biblioth. jur. Lib. 2. tit. 29. Carpz. p. 3. const. 4. def. 26. Schilter. prax. jur. Rom. Exerc. 38. §. 109. Extra periculum autem si degunt, juxta solennitates juris communis testamenta condant.

TH. VIII.

NON solum autem milites Patresfamilias jure militari testari possunt; sed etiam Filiifamilias; hi tamen solum de bonis castrensibus. pr. Instit. quib. non est permitt. fac. test.

TH. IX.

SED & si quis ante militiam non jure communi seu non adhibitis Solennitatibus fecit testamentum, & miles postea factus, & in expeditione degens resignavit illud, & quaedam adjecit sive detraxit, vel alias manifesta est militis voluntas hoc valere volentis, dicendum est valere hoc testamentum, quasi ex novâ militis voluntate. §. 4. Inst. h. t.

TH.

TH. X.

POST missionem si veterani testamentum velint condere, jure communi testari debent; & quod ante missionem fecerunt jure militari, intra annum tantum valebit proximum, postquam honestè dimissi sunt & eo anno decedunt. §. 3. Inst. h. t. l. 26. h. t. l. penult. C. cod.

TH. XI.

POTEST autem miles testator omnes instituere heredes, etiam alias incapaces. l. 23. §. 2. h. t. l. 5. C. h. t. nisi quos lex etiam ratione militaris testamenti specialiter prohibuerit, ut meretricem, in quam cadit turpis suspicio, l. 41. §. 1. h. t. item Concubinam militis. l. 14. ff. de his, quæ ut indign. Hæc enim nihil capit, & relictum fisco acquiritur.

TH. XII.

INFIRMATUR testamentum militis nudâ contrariâ voluntate. l. 15. h. t. non etiam per testamentum posterius. l. 10. pr. potest enim miles cum duobus testamentis decedere. l. 19. l. 35. h. modo sibi non sint contraria; alias posterius tantum valet. Neq; potest testamentum militare impugnari quærela inofficiosi. l. 24. C. de inoffic. testam.

TH. XIII.

CUM verò ad exemplum castrensium peculii leges quibusdam quoque dederint quasi castrensia, qualia habent filiifamilias ex Advocaturâ, Professione, aut aliâ functione liberali, acquisita, tunc & ratione eorum, non obstante patriâ potestate, facultatem nacti sunt testandi, jure tamen communi, & sic observatis solennitatibus requisitis. Cessant enim ibi pericula, quibus milites sunt expositi. §. fin. instit. h. t. De peculio verò adventitio irregulari testari non possunt.

TH. XIV.

SECUNDUM testamentum privilegiatum est testamentum parentum, & quidem cujuscunque gradus aut sexus, l. 51. de V. S. inter liberos. Si proinde pater vel mater tale testamentum inter liberos suâ manu conscripserit, aut quidem ab alio scribi curavit, illud autem subscripserit, valet tale testamentum sine ullis testibus. vid. Carpz. p. 3. c. 4. def. 17. & 18. Struo. Exerc. ad ff. 32. th. 18.

TH. XV.

ANNUS quoque & dies adjiciendus. Auth. quod sine. C. de testam. Ratio est, ut si diversæ patris voluntates & testamenta reperiantur, possit constare, quodnam posterius, vel prius.

D 2

TH.

TH. XVI.

NUncupativè si quis tale testamentum inter liberos condere velit, sufficit, si coram duobus testibus se declaret; ubi etiam foeminae testes esse possunt. Non enim Solennitatis, sed tantum probationis gratiâ adhibentur. *Lauterb. ad ff. de testam. milit.*

TH. XVII.

VAlet autem hoc testamentum privilegiatum inter solos liberos; ita, ut & ipsa uxor testatoris pro personâ extraneâ habeatur. Si proinde aliquid legati nomine in tali testamento ipsi relictum, hoc accrescit liberis, nisi duo ad minimum testes sint adhibiti. *Struv. Exerc. 32. th. 19.*

TH. XVIII.

Tertium testamentum privilegiatum est testamentum rusticorum, quorum simplicitati & imperitiâ utiq; succurrendum esse æquum judicaverunt Legislatores. *vid. l. ult. C. de testam.* & proinde numerum testium ita remiserunt, ut ad tale testamentum quinque testes sufficiant. *d. l. ult. & Rec. imp. de anno 1512. Rubr. von Testamenten. §. und sollen die Notarien ibi: und auf den Gau/ wo Bauersleute ein Testament machen/ und mehr Zeugen nicht zu bekommen wâren/ aufs wenigste fünf Zeugen.*

TH. XIX.

ITaq; pauciores quàm quinque non adhibendi. Deinde quoque tale privilegium rusticis concessum non aliter valet, quàm si ruri, sive in pago. (id enim significat vocabulum Gau/) testamentum condant. Nam si in urbe testari velint, septem testes adhibere debent; cum inibi copia hominum non desit. *Stryk. annotat. ad Lauterb. h. t.*

TH. XX.

Sed quæritur: an etiam suburbani, die Dorstädter / hoc rusticorum jure gaudeant, ut possint coram quinque testibus testari? id quod negatur. Nam ob contiguitatem civitatis defectum testium allegare haud possunt. *Ant. Faber. Cod. lib. 6. tit. 5. def. 26.*

TH. XXI.

Quid verò dicendum de Nobilibus ruri degentibus, an & illi coram quinque tantum testibus testamenta condere possint? Si ratio legis adest, nimirum defectus testium, ita, ut septem haberi nequeant, eos quoque coram quinque testari posse, Doctores asserunt. *Struv. jurisprud. lib. 2. tit. 16. th. 6. Eckolt. comment. ad ff. tit. qui. test. fac. poss. §. 20. Brunnem. ad C. l. fin. de testam.*

TH.

TH. XXII.

Quartum testamentum privilegiatum est testamentum ad pias causas, quod etiam sine solennitatibus secundum jus canonicum subsistit, modo de voluntate Testatoris constat. *cap. II. X. de testam.*

TH. XXIII.

Dicitur autem piæ causæ relictum, quod Ecclesiis, Hospitalibus, Scholis, item pro redemptione captivorum & alio pietatis intuitu relinquitur.

TH. XXIV.

Cum verò duorum vel trium testium in *d. c. II.* mentio fiat, eos necessario ad tale testamentum requiri asserunt multi è Doctoribus: Sed quia testes hic solum ad probandum requiruntur, hinc si aliâ ex scripturâ certò constat de voluntate disponentis, eos absolutè necessarios non esse statuit *Struv. Exerc. 32. th. 23.*

TH. XXV.

Quintum testamentum privilegiatum est testamentum tempore pestis conditum, ubi quidem jure civili septem testes adhuc requiruntur, & solum conjunctio eorum cum testatore est remissa, ne scilicet ad testatorem accedant *l. 8. C. de testam.* Sed vel ante fores vel ante fenestras compareant ut ibi videre & audire Testatorem possint, *Brunnem ad l. 9. C. de testam.* Ufu tamen fori ad testamentum tale sustinendum duo testes sufficiunt. *Carpz. p. 3. const. 4.*

AD TIT. XII.

Quibus non est permissum, facere testamentum.

TH. I.

Non tamen sola observatio solennitatum aut exemptio ab iis observandis testamenti validitatem efficiunt sed requiritur ad illam inprimis Testatoris habilitas.

TH. II.

Testari autem possunt omnes, qui testamenti habent factionem activam. *l. 4. ff. qui test. fac. poss.* Quidam verò prohibentur vel ob defectum naturalem, vel ex ratione aliâ quâ civili.

TH. III.

Ob defectum naturalem prohibetur (i. impubes §. 1. *Instit. h.*

h. l. s. ff. qui test. fac. poss. etiam si sit miles. Ratio habetur in *l. fin. C. de test. milit.* ne ob mentem nondum stabilem sub prætextu privilegiorum militarium inducantur ad disponendum in præjudicium Agnatorum.

TH. IV.

Nec valet testamentum impuberis ex eo, quod postea pubes factus decesserit, *l. 19. ff. qui test. fac. poss.* Nam quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. *l. 29. ff. de R. I.*

TH. V.

Pubes autem, si modò sui juris sit sive *minor*, etiam sine Curatoris consensu testari potest. *l. 5. ff. qui test. fac. poss. Gail. 2. obs. 96. n. 8.* Item *Fœminæ*, quamvis jure Saxonum in perpetuam maritorum aut aliorum curam sint, ad testamentum condendum Curatore non opus habent. Curator enim tantum in Actibus inter vivos necessarius est, non in actibus *ultimæ voluntatis*, cum in illis læsio metui non possit, quod quandocumque queant revocari. Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad supremum vitæ exitum. *l. 4. ff. de. adim. legat.*

TH. VI.

(2. **P**rohibetur testari *furiosus*, *l. 16. §. 1. ff. qui test. fac. poss.* Si autem per id tempus fecerit testamentum, quo furor ejus intermissus est, rectè testatur. Item id, quod ante furorem rectè fecit, valet. *§. 1. Instit. h. t.*

TH. VII.

(3. **T**estari non potest *mente captus*. *l. 17. ff. h. t.* Quia is, æquè ac furiosus, intellectu privatus est; in eo tantum à furioso differens, quod cum silentio insaniat; furiosus verò omnia turbet. *Melancholicos* autem si de sufficientiâ intellectus Medicus judicaverit, testari posse statuit *Stryk. de cautel. testam. cap. 3. §. 23.*

TH. VIII.

(4. **T**estari non potest, qui à natura simul mutus & surdus est. Neque enim in scriptis, neque nuncupative sensa mentis debito modo exprimere valet. *l. 10. C. qui test. fac. poss.* Si verò ex accidenti seu morbo talis factus, tunc si scribere possit, per scripturam testetur, Quando autem discretum est infortunium, h. e. vel aliquis mutus est tantum; vel surdus tantum, ille pariter, si scribendi peritus, in scriptis testari valet; hic verò, nimirum surdus, tam in scriptis quam nuncupativè. *l. discretis. 10. C. qui test. fac. poss.*

TH.

TH. IX.

(5. **N**on potest testamentum facere *Cæcus*, nisi per observationem, quam introduxit Imperator Justinus in *l. hanc consultiſsimam. 8. C. qui test. fac. poss.* Nimirum, ut (1. præter septem testes adhibeat Notarium vel octavum testem. (2. ut palam nuncupet heredem. (3. ut nuncupatio illa in scripturam redigatur, & ab omnibus octo testibus subscribatur & subſignetur.

TH. X.

Lege vel ex ratione aliquando civili testari prohibentur (1. *servi*; hi enim de jure civili pro nullis habentur. *l. 32. ff. de R. I. l. 16. l. 20. §. 7. ff. qui test. fac. poss.* Propriè tamen homines in Imperio Romano testari possunt. Sunt enim homines liberi quoad statum; quamvis quoad operas affinitatem quandam cum antiquis dedititiis habeant. *Philipp Eclog. 38. ad inst.*

TH. XI.

(2. **P**rohibentur lege testari *filiifamilias*, cujuscumque sint ætatis, ita, ut ne quidem consentiente patre testari possint. *pr. Instit. h. t.* Hic tamen consensus patris sufficit ad hoc, ut mortis causam donare possint. *l. 25. §. 1. ff. de mort. caus. donat.* Quippe quod donatio mortis causam propius accedat contractibus: Contractus verò juris privati sunt; h. e. pactis privatorum immutari possint. *L. B. de Lynker. anal. h. t.*

TH. XII.

De *castrensibus* autem & quasi *castrensibus* bonis quin filii familias testari possint, jamdum *ad tit. preced. ib. 8. & 13.* dictum est.

TH. XIII.

(3. **T**estari prohibentur *Monachi* seu religiosi post Professionem: quia bona sua ad Monasterium transferunt. *auth. ingressi. C. de SS. Eccles. & jus Monasterii & potestas Abbatis* habet effectum patriæ potestatis, docente *Urbano II. c. 19. qu. 3.* ita ut filii familias Monachi comparandi. Liberi tamen & Parentes Monachorum salvam habeant legitimam de bonis à professore seu Monacho etiam post professionem quæsitis, si nimirum illa bona ex jure sanguinis sive à cognatis ad professum venerint. *vid. L. B. de Lynker anal. ad jus Canon. Lib. 3. tit. 27. qu. 2.*

TH. XIV.

(4. **T**estari Lege prohibentur *prodigi*, nimirum si testamentum condiderint, postquam à Magistratu ipsis bonorum administratio per decretum est interdicta. *§. 2. instit. h. t. l. 18. ff. h.* Nec valet testamentum prodigi in fratu interdictionis facti, licet in eo familiæ suæ probè consuluerit.

E 2

L

L. B. de Lynker, anal. ad inst. h. t. Testamentum verò eorum ante interdictionem legitime factum sustinetur. l. 18. ff. qui test. fac. poss.

TH. xv.

(5. **P**rohibentur testari *damnati ex delicto* ubi *confiscatio bonorum* per sententiam facta. *vid. Nov. 134. cap. ult. Ordin. crim. artic. 106. § 118.* Ex alio autem delicto *damnati* ad mortem testamenti factionem retinent. *Philipp. Eclog. 51. ad Instit. nisi sint venefici. Schilter. Exerc. ad ff. 38.*

TH. xvi.

(6. **N**on valet jure civili testamentum *capti ab hostibus* quod ibi fecit §. 5. *Instit. h. t.* jure verò hodierno validum est *vid. Schilter. Exerc. ad ff. 38. §. 18.*


TH. xvii.

(7. **L**ege quoque testari prohibentur *Banniti ex Imperio* l. 1. §. 2. *de Legat. 3. l. 1. C. de hered. inst. Gail. 1. de pace publ. c. 19. §. 5.* non etiam aliorum Statuum proscripti, *Lauterb. ad ff. lib. 28. tit. 1. p. 484.*

TH. xviii.

(8. **L**ege testari prohibentur *Heretici. Aurb. credentes. de Heret. (9. Incestuosi, l. 6. de incest. nupt. (10. propter crimen famosum damnati. l. 18. §. fin. ff. qui test. fac. poss.*

Atque hæc in præsens pro instituti ratione de testamentis ordinandis scripsisse sufficiat: quæ verò de heredum institutione adhuc dicenda essent, sequentibus reservantur. **DEO** interim optimo maximo sit laus & gloria.



Generosissimo Domino
Respondenti,

Fantori suo *estimatissimo,*

S. & O.

Generosissime Domine Respondens,

Sicuti nihil est laudabilius, nihil præstantius, Jurisprudentiæ studio, cum ad Reipublicæ utilitatem illud ipsum se totum porrigat: ita enitendum est iis maximè, qui patriæ aliquando expetunt proficua præstare officia, ut divinâ hæc Scientiâ ita imbuant animum, prout spes parentum & expectatio publica ab iis postulat. Huic

ic autem comparandæ commodum omninò vi-
tæ academicæ tempus impendendum est, ejusq;
ratio sollicitè habenda. Solum enim præsens
in nostrâ manu positum; præteritum verò nec
serâ revocatur pœnitentiâ, nec pretio redimitur.
Hæc Tecum pensitans, *Generosissime Domine Cesso*,
cum hætenus Legum disciplinæ operam de-
deris, glorioso conamine tuam imposterum quoq;
diligentiam ipse excitaturus juridicas hasce *de Te-
stamentis ordinandis* Theses publicè in Cathedrâ
Josephinæ nostræ defendere suscipis. Maçte hac
virtute, nec incepto desiste, donec honoris pal-
mam cum laude sis consecutus. Adspiret Nu-
men laboribus tuis, & Parentum vota, qui-
bus mea sincera mente jungo, felicissimo ad-
impleat eventum. Dabam Lignitii Die 18.
Martij 1715.

Augustus Bohsius, D.

